

1767, 3

238

13a

D. CAROLI ANTONII KEVFFEL

HISTORIA

AVCTORITATIS PRVDENTVM

APVD ROMANOS

SECTIO II.

PRAELECTIONIBVS SEMESTRIS HIBERNI

M D C C L X V I I .

PROLVSIONIS INSTAR

P R A E M I S S A

HELMSTADII


PRODIIT EX TYPOGRAPHEO ACADEMICO

VIDVAE SCHNORRIAЕ

ДЛЯ ПРИЧИНОВИТЬ
СВОЕМУ СОСУДУ
УДОБНОСТЬ

VACUORITATIS PRÆDENTIA

ПРИЧИНА ПРИЧИНОВИТЬ
СВОЕМУ СОСУДУ
УДОБНОСТЬ



HISTORIA
AVCTORITATIS PRVDENTVM
APVD ROMANOS

SECTIO II.

HISTORIA
AVCTORITATIS FORENSIS
PRV DENT VM

§. XIII.

DESCRIBITVR FORVM ROMANVM,

Fori appellatione insigniebatur locus in vrbe Roma,
in quo ius dicebatur, et hinc ortus loquendis,
mos, vt, quando proconsules in prouincias
conuentum habebant iuris dicundi caussa, fo-
rum agere dicerentur. Sub libertate vnicum
erat forum, quod cognominatum est Romanum: addi-
tum a Jul. Caesare alterum, SVET. Iul. c. 26, ab Augusto
tertium, ob hominum et iudiciorum multitudinem, quae
videbatur, non sufficientibus duobus, etiam tertio indi-
gere, ID. Aug. c. 29. Pars fori Romani erat Comitium,
iuxta curiam, vbi comitia curiata habebantur, et in quo
rostra erant, vnde, qui e rostris agebant, in forum et
in comitium versus agere poterant. In foro Romano e-


rat etiam aedificium illud spatiostum , habens formam templi amplissimi , quod columnae quam plurimae sustentabant , in quo praetor , posita sella curuli , ius dicebat , quodque tribunal praetoris appellatum est . Formam eius erudite inuestigavit , et nitidis figuris delineandam curauit Ill. C. F. HOMMEL , in Prolus. de forma tribunalis , et maiestate praetoris Lips. 1763. Sella curulis constabat trabibus tenuibus eburatis , quae loris ita compactae erant , vt sella complicari , et ad sedendum explicari posset . Comitissione latorum , quibus theatrum Marcelli dedicabat Augustus , euenit ut laxatis sellae curulis compagibus caderet supinus . SVET. Aug. c. 43. Praefto quoque erat in foro apparatus subselliorum , in quibus separatim federent iudices , accusatores , defensores , testes , auditores . Collocabantur illa in loco , qui cauissam acturis videbatur commodissimus . Porcius Latro , cum ei cauissa in foro esset oranda , impense petiti ut subsellia in basilicam transferrentur : ita illi coelum nouum fuit , vt omnis eius eloquentia contineri teſto ac parietibus videretur . QVINTIL. Inst. X, §. Pro mercede locata esse , colligitur inde , quod Nero cauit , ut litigatores pro subselliis nullam omnino mercedem darent , praebente aerario gratuito . SVET. Ner. c. 17. Turbae recipienda cauissa Aurelius quidam subsellia , ad similitudinem theatri construxisse videatur , quae gradus Aurelii dicta sunt , et ab accusatoribus complebantur concitatis hominibus . c. 1. c. pro Client. c. 34. Non longe a gradibus Aureliis pro L. Flacco dicebat Cicero , quod ab accusatore Laelio hic locus atque turba illic confluens quaesita erat Or. pro Flacco c. 28. Plura de foro dicenda habent , qui data opera illud describunt .

§. XIV.

LATIS LL. XII. TAB. PRUDENTES AFFECTABANT
REGNUM FORENSE OCCVLTABANT FASTOS.

Aggressu[m] milii historiam auctoritatis forensis pruden-

dentum apud Romanos, commodum accidit, ut fautor
 quidam Illustris beneuole mecum communicaret librum
 IAC. R A T V A R D I de auctoritate prudentum, ex cuius pro-
 inde fontibus hortulos meos iam irrigare licebit. Ea ve-
 ro erit traefationis differentia, quod Raevardus tantum
 de iure ciuili, prudentum auctoritate inducto, differit, ego
 et alia ad vrbanam militiam pertinentia persequar. De
 auctoritate forensi prudentum scribit c.c. Top. c. 17. Pri-
 uata iudicia maximarum quidem rerum, in ICtorum mibi
 videntur esse prudentia. Nam et adsunt multum, et adbi-
 bentur in consilio. Rationes sic inierunt. Diu reluctati e-
 rant Consules, senatus, reliquaque primores ciuitatis,
 quominus rempubl. ex legum praescripto administrare
 cogerentur. Peruincebat tandem pertinax tribunorum
 pl. efflagitatio, vt leges xii Tab. scriberentur, et comitiis
 centuriatis approbatae, tabulisque aeneis incisae in publi-
 co proponerentur. Constatre sic poterat populo ius,
 quod de quaue re constitutum erat, sed restabat definitio-
 endum, quibus modis ea, quae lege continebantur, in
 usum forensem deducerentur. Hic rebus suis consulturi
 prudentes, et regnum forense sibi asserturi, praefinie-
 bant solennitates, formulas, tempora, quibus lege age-
 re fas esset, et quae eo pertinebant, studiose occula-
 bant omnia, ne vulgo innotebantur. Dies profecti di-
 stinguebantur a Romanis in fastos, nefastos et intercisos.
 Fasti dies erant, quibus fari licebat praetori tria verba so-
 lennia: Do, Dico, Addico, quibusque proinde lege agi
 poterat. Nefasti his erant contraria. Intercisi Deorum
 hominumque communes erant. Cum hostia caedebaratur,
 fari nefas erat: inter caesa et porrepta fari licebat: rursus
 cum adolebatur non licebat. MACROE. Saturn. L. I, c. 16.
 Dierum ratio continebatur fastis pontificum, hinc eos
 consulere oportebat, qui actione experiri vellent. c.c.
 pro Mur. c. II.



§. XV.

COMPONEBANT ACTIONES LEGIS, ET FORMULAS

SOLEMNES.

Regni forensis stabiliendi gratia, mox latis **LL.**
XII Tab. prudentes componebant actiones legis, hoc est
 formulas quibus inter se disceptarent, qui apud magistratus
 in iure experiri vellent. Ne populus propterea velle auctio-
 nes institueret, eas certas solennesque esse volebant, **L.**
 2, §. 6 de *O. I.* Certas ad numerum, solennes ad formula-
 lam et verba, interprete **CVIAC.** ad l. c. Dificiente for-
 mula, deerat facultas in iure experiendi, hinc, vulgatis
 a Flavio legis actionibus et deficientibus quibusdam a-
 gendi generibus, Sext. Aelius alias interim compositas
 actiones populo dedit, quarum complexus appellatus est
Ius Aelianum. **L. 2, §. 7 de O. I.** Necessitas illa formula-
 rum tam altas radices egerat, ut ne triumuiiri quidem
 victoriarum suarum beneficia, absque formulae conce-
 ptione in alios transferre posse sibi viderentur. Notauit
 hoc inter libere facta **VAL. MAX.** **L. 6, c. 2, n. 12.** *A. Cae-*
sellius, vel potius *Caecilius*, *vir iuris ciuilis scientia clav-*
rus, *quam periculose contumax!* Nullius enim aut gratia aut
 auctoritate compelli potuit, ut de aliqua earum rerum, quas
 triumuiiri dederant, formulam componeret. Scribenda etiam
 erat a **ICris** formula, quando ex contractibus inno-
 minatis praescriptis verbis agebatur. **HEINECC.** *Ant.*
Rom. L. 4, Tit. 6, §. 32. Ceterum in conceptione auctio-
 num multae erant quaestiones: an *hunc*, an *cum hoc*, an
bac lege, an *apud hunc*, an *hoc tempore* liceret agere? in
 quibus, si quis erraret formula cadebat. **QVINTIL.** *In-*
stit. L. 3. c. 6. quod ipsum confirmans **CIC.** de *Invent. II,*
19. ita, inquit, ius ciuale habemus constitutum, ut caussa
cadat is, qui non quemadmodum oportet egerit.

§. XVI.

§. XVI.

ACTIONVM LEGIS ET FORMULARVM PROVENTVS
NON EXIGVVS.

Actiones legis compositae erant ut secundum formam in illis praescriptam quisque ius suum persequeretur in iudicio, et singulis accommodabatur certa formula, vnde utrumque non exiguis fuit prouentus. Quot enim modis ius alicui competere poterat in rem vel in personam, siue ex contraetatu siue ex maleficio, tot compondae erant actionum formulae. Actiones ipsas, ad ius persequendum compositas, compilauit Tribonianus in Tit. I. de Act. earum formulae et solennitates ex antiquatum scriptoribus petendae sunt. Qui rem petebat tanquam suam, eam vindicare dicebatur, et vindicationem praecedebat lis de vindiciis, hoc est possessione. Si quis serui possessionem peteret, formula vindiciarum erat: *Hunc hominem ex iure Quiritium meum esse aio, eiusque vindicias mibi dari postulo.* Fundi vero vindicandi formula erat: *Fundus, qui est in agro qui Sabinus vocatur, meus est; cum ego ex iure Quiritium meum esse aio. Inde ibi ego te ex iure manum consertum voco.* Constatuto possidente, lis de dominio ita intendebatur, ut petitor prius quaereret: *Quando te in iure conspicio, postulo anne sies auctor?* Affirmante reo, sequebatur vindicatio: *Quando ait neque negas te auctorem esse, hunc fundum ex iure Quiritium meum esse aio.* Qui a persona certam praestationem postulabat, condicere dicebatur præsca lingua, et prout quis ex contraetatu vel ex maleficio obligatus erat, prodietae erant diuersae actionum formulae. Expressæ sunt inquit c. 1. c. pro Rosc. Com. c. 8, ex uniuscuiusque damno, dolore, incommodo, calamitate, iniuria, publicae a Praetore formulae, ad quas priuata lis accommodatur. In proclui foret prolixius haec persequi, et plurimum actionum formulas adscribere, sed haec speciminiis loco sufficiant.

§. XXII.



§. XVII.

IURIS PRUDENTIA Vetus FORMULARIA.

Non satis auctoritati suae prospexitse sibi videbantur prudentes, adstringendo actiones legis certis formulis ac ritibus, dilatabant fines regni forensis, et negotia quaedam priuata certis solennibusque formulis ac ritibus peragenda scilicet, si firmatatem habere deberent. Actus de quibus ita constituerunt, dicuntur *legitimi*, ad eosque pertinent non solum mancipatio, acceptatio, hereditatis aditio, servi optio et datio tutoris, a Papiniano in L. 77. D. de R. I. a reliquis discreti, quod sua natura conditionem et diem reiiciunt, sed etiam actus voluntariae iurisdictionis, emancipatio, manumissio, adoptio, et quae sunt in eodem i genere. Praeter haec hancenus adducta, adeo late patebat apud Romanos verborum et formularum religiosa solennitas, ut vere dicat BRISSON. de form. et solenn. P. R. verbis init. L. 1. nullam vitae partem, neque publicis neque priuatis, neque forenibus neque domesticis in rebus, formulis vacasse. Quod vetus iurisprudentia Romana, publica aequa ac priuata, tota propemodum fuit formularia, in disceptationem vocatum est, vtrum laude dignius sit, an vituperio? HEINEC. Orat. Inaug. de iurispr. vet. Rom. formul. contendit, conceptiones illas verborum et solennitates a viris prudentissimis, sapienti consilio, magnoque reipublicae bono inuentas et excogitatas esse: illis enim primo tribuit, quod certum atque exploratum haberi potuerit, negotia serio atque ex animi sententia fuisse contracta: deinde, quod ope rituum leges decemuirales ad plura negotia ciuilia explicanda traducere configerit, nec opus fuerit nouas subinde leges ferre ad populum: denique generatim obseruat, nusquam disceptationes forenes minus diuturnas fuisse, quam vbi oratione in iudiciis solenniter atque ex formula et dici et fieri oportuit. Non negar

negat optimates formularum apparatu abusos esse ad ci-
ues opprimendos, sed hoc hominum vitium fuisse mo-
net, non formularum.

§. XVIII.

PRUDENTES IN BONAE FIDEI IUDICIIS
PARATI FVERVNT.

Inter formulas iudiciorum priuatorum consultissime a prudentibus excogitata sunt iudicia bonae fidei, de quibus prolixe differit RAEWARD. de aut^t prud. c. 3. sqq. Erant autem iudiciorum bonae fidei tres formulae, vna, quae contractibus accommodatur his verbis: *Ex bona fi-
de;* altera, quae in fiduciis usurpabatur ad hunc modum:
Vt inter bonos bene agier oportet, et sine fraudatione; tercia rei vxoriae propria: *Quantum aequius melius.* Vis harum formularum erat, vt nihil agi dolose aut malitiose posset, et latissima iudici daretur potestas statuendi, quid quemque cuique praefastare oporteret. Quae partes ICTORUM fuerint in his iudiciis, declarat c. 1. Topic. c. 17. In omnibus iis iudiciis in quibus ex fide bona est additum: *vbi vero etiam,* vt inter bonos bene agier: *in primisque in arbitrio rei vxoriae, in quo est:* quid aequius melius, parati esse debent. Illi enim dolor malum, illi fidem bonam, illi aequum bonum, illi quid socium socio, quid cum qui negotia aliena curasset, et cuius ea negotia fuissent; quid cum qui mandasset, eumue cui mandatum esset, alterum alteri praefastare oporteret; quid virum vxori, quid vxorem viro, tradiderunt. Prae aliis celebratissima est C. Aquilii Galli prudentia, quod formulam de dolo malo euerriculum omnium malitiarum, excogitauit. Et his quidem modis regnum forense a prudentibus quaesitum est.

§. XIX.

PRUDENTES CONSULEBANTVR DOMI SVAE.

Eo loco cum essent negotia ciuilia, vt sine interuen-
tu prudentum explicari non possent, frequens inde eos

B con-

X

consulendi enata est necessitas. Non siebat id sine formula, venia enim prius rogabatur his verbis: *Licet consulere?* quod ex *Orat. pro Muraen. c. 13.* intelligitur. Consulebantur autem partim domi sua in solio sedentes, partim in foro ambulantes. Non recusare se, dicit Marcus apud *cic. de Leg. I, 3.* quo minus more patrio, sedens in solio, consulentibus respondeat. Scipioni Nasicae publice *domus in sacra via data est*, quo facilius consuli posset. *L. 2, §. 37 de O. I.* Adibantur domus ICtorum a consularibus summo mane. *Vigilas tu de nocte*, inquit *cic. pro Mur. c. 9.* ad Seru. Sulpicium verba dirigens, ut tuis consularibus respondeas. *Te gallorum cantus exfuscat.* Et *HORAT. Serm. I, 1. v. 9, 10.*

*Agricolam laudat iuris legumque peritus,
Sub galli cantum consulor ubi offia pulsat.*

Consularibus ita respondebant aliqui, ut eadem opera discendi cupidos eradirent, et inde rationem reddit *cic. in Orat. c. 42.* cur ius ciuale docere semper pulchrum fuerit, ad oratoriam autem institutionem nulli se contulerint. Respondentes audire sat erat, ut ii, qui docerent, nullum sibi ad eam rem tempus ipsis seponerent, sed eodem tempore et discentibus satisfacerent et consulentibus. Faciebat id nominatim *Q. Scaeuela*, qui, quamquam nemini se ad docendum dabat, tamen, consulentibus respondendo, studiosos audiendi docebat. *in Bruto c. 89.*

§. XX.

COPIAM SVI FACIEBANT IN FORO.

Ne in ipso actu rerum deesset consulendi occasio, ICti in forum se conferebant, et ambulando significabant consulere licere. Faciebant hoc etiam viri in magna auctoritate constituti. Coepit forte mos ille a Sexto Aelio, a quo ius Aelianum profectum. Dicit Crassus apud *cic. de Orat. III, 33.* *Meninerant pater et ficer meus Sex. Aelium, Man. vero Manilium nos etiam vidimus transuerso ambulantem foro; quod erat insigne, cum, qui id faceret, face-*

facere ciuibus omnibus consilii sui copiam: ad quos olim et ita ambulantes, et in solio sedentes domi adibatur. Quando vindiciae postulabantur, praetori quoque carmen compositum erat: istam viam dico, inite viam. Praefecto erat sapiens, qui iniire viam doceret. Dicente praetore: redite viam, eodem duce redibant. c.c. pro Mur. c. 12. Adeo habebant prudentes quod in foro agerent. Aggregarunt se illis aliqui, scientiam iuris iactanter prae se ferentes, sed ea destituti, quos reprehendit c.c. de Orat. I, 40. dicens: *Iura suae ciuitatis ignorantem, erectum et celsum, alacri et prompto ore ac vultu, buc atque illuc intuentem, vagari magna cum ceterua toto foro, praesidium clientibus, atque opem amicis, et prepe cunctis ciuibus lucem ingenii et consilii sui porrigitem atque tendentem, nonne impruuis flagitiosum putandum est?*


§. XXI.

PRUDENTES PERITI ERANT AD AGENDUM.

Ad negotia forensia pertinebat, ut prudentes periti essent ad agendum, hoc est, ad ostendendum viam aerationem, qua quisque in iudicio persequeretur, quod sibi debebatur. Actoris enim erat edere actionem qua experiri vellet, eaque in re multa cautione opus fuisse supra dictum est, vnde formularum concipiendarum gratia adeundi erant prudentes, quos ipsos de actione constituta, quae speciei propolitae congrua esset, nonnunquam disceptasse legimus. Exempla occurrunt in L. 16: 17, 20, 22 et 24 D. de praescript. verb. alibiique. Ne periclitaretur actor ineptam actionem proponendo, peculiares inuenierunt actiones. Sic nata est actio de aestimato, Cum enim dubitatum esset, vtrum ex vendito esset actio, an ex locato, an ex conducto, an mandati, melius vi sum est hanc actionem proponi L. 1. D. de aestim. Sic etiam cessantibus vulgaribus actionibus, cum proprium nomen inuenire non poterant, descendebant ad actiones

B 2

que



quae in factum appellabantur, praescriptisque verbis, ad easque necesse erat configere, quoties contractus existebant, quorum appellations nullae iure ciuili proditae essent. L. 1, 2, 3 D. de praef. verb. Eueniebat etiam ut incertum esset, quae potius actio compereret, de quo casu dicit VLP. in L. 1. §. 4. D. quod legat. Quoties incertum est, quae potius actio teneat, duas dictamus, protestati ex altera nos velle consequi quod nos contingit. vid. pluribus BRISSON. de Formul. L. 5, pag. 431. edit. Paris.

§. XXII.

PERITI ERANT AD SCRIBENDVM.

Muneri agendi cohaerebat ut prudentes periti essent ad scribendum, hoc est, ad componendum stipulationes, rerumque contrahendarum, testamentorumque formulas. Stipulationes constabant interrogatione et responsive congrua. Ne itaque errarent contrahentes, stipulationum formulas prudentes componebant, ex eorumque consilio et auctoritate stipulationes restipulationesque fiebant. Ita enim c. 1. de Leg. I. 4. Quo me vocas? aut quid hortaris? ut stipulationum et iudiciorum formulas componam? et de restipulatione Or. pro Ref. Com. c. 13. quis est huius restipulationis scriptor? testis? arbiter? Quaecunque porro negotia priuata solennitatibus adstricta erant, eo ipso erant talia, ut 1Cti ad formulas solennes concipiendas adhiberentur. Inprimis vero ad consciendas testamentorum tabulas 1Cti adhibiri. Hinc Crassus dixit Scaeulæ: Si nullum erit testamentum recte factum, nisi quod tu scriperis, omnes ad te ciues cum tabulis veniemus, omnium testimenta tu scribes unus. c. 1. de Orat. II, 6. Exemplum tamen testamenti, absque 1Cti consilio scripti est in L. 88. §. 17. D. de Legat. 2. Add. BRISON. de Form. L. 7, pag. 656.

§. XXIII.

§. XXIII.

PERITI QVOQVE AD CAVENDVM.

Ad ICrorum munus porro pertinebat ut periti essent ad cauendum, seu ad praeueniendum fraudes, quae in contrahendo committi poterant. Erant enim cautio-nes remedia, quibus ICti clientes suos, illis in rebus, quibus vitae societas continetur, aduersus dolos et circumscriptiones aliorum securos praestabant. *E. V. OTTO in Papin. c. 10 §. 8.* Maxima in auctoritate erat C. Aquil. Gallus, quod eius prudentiam populis Romanus in cauendo, non in decipiendo peripexerat, quodque iuris civilis rationem nunquam ab aequitate se iungebat. *c. c. pro Caccina cap. 28.* Peritia cauendi est pars iurisprudenciae maxime practica, et eo magis necessaria, quo plainera praxis forensis ad cauillationes viam sternit. Nos, inquit *PLIN. L. 2, Ep. 3, n. 5,* qui in foro verisque litibus terimur, multum malitiae, quamvis nolimus, addiscimus. Cautionum veterum vestigia, per pandectarum corpus dispersa supersunt, et librum singularem cautionum scripsit *HERENN. MODESTINVS* sub titulo *Heurematicorum*, quem titulum lepidam festiuitatem inscriptionis vocat *MERILLIVS L. 7. Obs. c. 34.*

§. XXIV.

ICTI IUDICES ET ASSESSORES.

Causae in iudicium deductae, dirimendae erant ex praescriptis legum, hinc eos, qui iudices sedere vellent, peritos esse oportebat legum, et consuetudinis eius, qua priuati in cimitate vicerentur. Ut eo minus periculi esset ne impetrare iudicarent, adjungebant sibi iurisperitos iudicii locios, ex quorum consilio statuerent. Est apud *GELL. XII, 13.* Cur hoc me potius rogas, quam ex istis aliquem peritis studiosisque iuris, quos adhibere in consilium iudicatur solevis? Et *PLIN. L. 2, Ep. 20.* Frequentes egi, frequenter iudicauit, frequenter in consilio fui. Praetori pro-

tribunali cognoscendi in consilio erant decem viri, quinque equites, totidemque senatori, legum periti, cum quibus causa cognita in consilium secedebat, et ex eorum sententia pronunciabat. Assessores hi idem erunt cum Decemviris statibus iudicandis, qui Centumviris praerant, et ad illos pertinere Tit. D. de off. ass. assentiendum est Ill. HOMMEL. de form. tribunal. §. 8. dissentientibus licet alii. Etiam iudices dari unum aut plures sibi adiungebant legum peritos. In causa Quinti index datus a praetore C. Aquilius, tres iurisperitos, L. Lucullum, P. Quintilium et M. Marcelium in consilium aduocauit. In causa Q. Rosci Com. egit Cicero apud C. Pisonem, iudicem a praetore datum, Pisoni autem M. Perperna in consilio adfuit. Iudices iurabant se ex animi sententia et lege iudicatores, erant igitur legum periti, nec male iudicando litem fecissent suam, nisi eos oportuisset legum esse peritos. Assessorum imprudentia si ius aliter dictum esset quam oportebat, non officiebat hoc magistratui, sed assessoribus. L. 2. D. quod quisque iur..

§. XXV.

ICTI ADVOCATI.


Erant qui pro se postulare non poterant, vel ob aetatem, vel ob causum; de his aiebat praetor in edicto: si non habebunt aduocatum, ego dabo. L. 1. §. 4. D. de postul. Erant etiam qui subtilitates iuris parum intelligebant, aut alias ob causas defensione aliorum egebant. Non commitebant prudentes, ut sua destituerentur ope. Qui defendebat alterum in iudicio, si aut ius suggerebat, aut praesentiam suam commodabat amico, aduocatus, si negotium suscipiebat, procurator dicebatur. Quo loco apud Romanos fuerint qui in causis forensibus aderant, docet c. c. de Offic. II, 19. In iure cauere, consilio iuuare, atque hoc scientiae genere prodesse quam plurimis, vobemener et ad opes augendas pertinet, et ad gratiam. Ad tempora

pora sequentia si progredimur, obseruare licebit, quo
turbatior fuit status ciuitatis post mutatam reip. formam,
quo maior seita est iuris ciuilis, legum, iudiciorumque
mutatio sub Imp. eo latiorem aduocationibus patesa-
etum esse campum. Monebatur Claudius apud **TAC.**
Ann. XI, 7, Cogitaret plebem quae toga enitesceret, hoc est, interprete **GRONOV.** *ad l. c. meminisset plebeios ma-*
gnam partem cauſidicina in lucem se proferre. Plenius
hoc contigit post ciuitatem orbi Rom. datam. Coepit
tunc in quoquo foro esse certum corpus, seu matricula
aduocatorum, magnae fuere eorum praerogatiuae, faci-
le honores quaesuerunt paeclaros, quare passim eo
multi conuolauere ceu ad seminarium dignitatum, quod
vaque dixit Valentinianus Nou. de postulando vid. GO-
THOF R. ad L. 77 et 188 C. Theod. de Decur. L. XII, Tit. 1.
Prae ceteris dignatione ac priuilegiis ita eminebat aduo-
*catus fisci, ut eius munus ingressus, et quasi primordi-
um honorum haberetur. E.V. OTTO in Papin. c. 14, §. 1.*

§. XXVI.


ICTI HASTAS MINISTRABANT ORATORIEVS.

Iurisprudentia et ars dicendi ita sibi affines erant in rep. Roma-
na vt in iure ciibili fatis illi arti facere non posset, qui dicendi copi-
am non assumbisset, et causas agere non posset, nisi qui ius ciuale di-
dicisset, quod pluribus persequitur **QVINTIL.** *L. 12 c. 3,* hinc inueni-
mus **ICTOS** disertissimos, et oratores iuris callentissimos, certumque
habebatur, iis, qui perfecti oratores esse vellent, iuris ciuilis cogni-
tionem esse necessariam. Fuere tamen alii, qui jurisprudentiam ab
eloquentia seivngabant. De Curione oratore refert **CIC.** *in Bruto c.*
59. *Non publicum ius, non priuatum et ciuale cognouerat. quamquam*
id quidem fuit etiam in aliis, et magnis quidem oratoribus, quos pa-
rum his instructos artibus vidimus. Et de actate, qua ipse animos
hominum ad se dicendi nouitate conuerterat, loquens *c. 93, neminem*
fuisse ait, qui ius ciuale didicisset, rem ad priuatas cauſas, et ad ora-
toris prudentiam maxime necessariam. Quia tamen in retum priua-
tarum cauſis atque iudiciis deponenda liepe oratio erat ex iure
ciuali, oratores illi, iuris ac legum imperiti, ad **ICTORUM** fugiebant
pruz-



prudentiam, et ab illis *amentatas hafas*, vt loquitur ctc. de Orat. I,
57, sibi ministrari curabant, quas oratoris lacertis viribusque torque-
rent. Apud Graecos, vt idem refert c. 45 infimi homines, mercede-
la conducti, qui pragmatici vocabantur, ministros se praebuerunt in
iudicis oratoribus; apud Romanos contra amplissimi et clarissimi
viri iura docuerunt oratores, sive per fecerunt, vt in respondendo
iure autoritate plus etiam quam ipso ingenio valerent.

Delineauit hactenus historiam auctoritatis forensis prudentum
apud Romanos, vt continuarem laborem coepit, et vt serua-
rem institutum praefandi praelectionibus a me habens, quarum
intuitu rationes ita subduxi. Quo tempore doctrina iuri in scho-
las Occidentis introducebatur, mox incipiebant studii huius duas
esse positiones, Ciuii et Canonici, et vtrumque ius in foris e-
am accipiebat auctoritatem, vt hodiernum vtriusque cognitio ad
causarum decisionem sit necessaria. Postquam igitur elatio sen-
tri doctrinam pandectarum exposui, nunc me accingam ad Ius
Canonicum tradendum, idque facio eo alacriore animo, quod per-
severans industria atque assiduitas lectissimorum Doinitorum Com-
militonum, quibus interesse meis praelectionibus plauit, ad bene-
sperandum de vltioribus meis conatus, quasi signum aliquod
fusculit. Ut vero ducem sequar, cuius spectata eruditio et fama
institutum meum reddat commendatus, quique genuinum syste-
ma Iuris Ecclesiastici luculentiter stabiliuit, explicabo Illustris GE-
ORG. LVD. BÖEHMERICI, Antecessoris Goettingensis, *Principia
Iuris Canonici speciatim Ecclesiastici publici et priuati*, quod per
Germaniam obtinet, daboque operam, vt valissimi iuris praece-
pta folide explicata proponam. Praeterea totius legitimae scientiae
elementa, secundum ordinem *Institutionum* ab HEINECCIO de-
scripta interpretabor, et in gratiam eorum, qui memoriae omnia
altius infigere cupiunt, *examinatorium addam. Iuris naturalis sci-
entiam* ductu*Institutionum* Cl. ACHENWALLII ita illuстрabo, vt simul
perspiciat veritas moniti Vlpiani: ius ciuile neque in totum a na-
turali vel gentium recedere, nec per omnia ei seruire. Vos, gente
pariter ac mente generosi Domini Commititones, ita velim flatuatis,
me et commodorum Vestrorum promouendorum esse studiofissi-
mum, et fauoris Vestri obtinendi cupidissimum. Scrib. Helmstadii
d. xxx Sept. MDCLXVII.



ULB Halle
005 350 883

3



WIP



1767, 3

~~228~~


18a

D. CAROLI ANTONII KEVFFEL
HISTORIA
AVCTORITATIS PRVDENTVM

APVD ROMANOS



SECTIO II.



PRAELECTIONIBVS SEMESTRIS HIBERNI

M D C C L X V I I

PROLVSIONIS INSTAR

P R A E M I S S A



HELMSTADII

PRODIIT EX TYPOGRAPHEO ACADEMICO

VIDVAE SCHNORRIAE